



**R. P. D. Thomæ Delbene Marvbiensis, Clerici Regvlaris,
Sacrae Theologiae Professoris ... De Immvnitate, Et
Ivrisdictione Ecclesiastica**

Bene, Thomas del

Lugduni, 1674

Bulla 7. Gregorij XIV. de Immunitate Ecclesiarum, quibusdam exceptis
casibus, inviolabiliter observanda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98676](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98676)

Ego M. Presb. Card. S. Stephani in Monte Caelio.
 Scipio Card. Lancelottus.
 Ego Aloysius Card. Estensis.
 Ego Fer. Card. de Medicis.
 Phil. Vast. Card. Cam.
 Ego Carol. à Lotharingia Card. Vademontanus.
 Ego Vincent. Card. Gonzaga.
 Ego Franciscus Card. Sfortia S. Georgij.
 Alex. Card. de Montcalco.

Publicatio.

Anno à Natiuitate Domini 1585. Indictione 13. die
 verò quinta mensis Iulij, Pontificatus Sanctissimi in Chri-
 sto Patris, & D. N. D. Sixti diuina providentia Papa V.
 anno 1. retroscripta litera Apostolica fixa, & à publicata
 fuerunt in valuis, seu portis Ecclesiarum Sancti Ioannis
 Lateranensis, & Principis Apostolorum de Vrbe, necnon
 valuis Cancellarie Apostolicæ, & in acie Campi Flori, vt
 moris est, per nos Ioan. Gance, & Nicolaum Tagliettum
 S. D. N. Papa Apost. Cur.

Ioannes Freile Mag. Cur.

GREGORII XIV. B. VII.

De Immunitate Ecclesiarum, quibusdam ex-
 ceptis casibus, inuolabiliter obseruanda.

Ad quod habes etiam dispositionem Concilij Tridentini
 sess. 25. cap. 20. & Bullam 1. Ioan. XXII. Ex parte,
 sup. ubi notati.

GREGORIVS EPISCOPVS,
 Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam
 rei memoriam.

Pius V. & Sixt. V. certis casibus permittit extrahi ex Ec-
 clesiis homines criminosos.

Cum aliàs nonnulli prædecessores nostri, & præ-
 sertim fel. recordat. Sixtus Papa V. necnon Pius
 etiam V. sancto zelo ducti diuersas facultates & indul-
 ta extrahendi, etiam in casibus quibusdam à iure non
 permittis, ex Ecclesiis criminosos & delinquentes,
 compluribus secularibus Principibus, eorumque Cu-
 rris & Magistratibus sub variis modis & formis conce-
 ferint, prout in illis plenius continetur.

Sed secularium Principum Ministri hac facultate abusi
 sunt, & mala hic enarrata eueniunt.

§. 1. Experientia postmodum docuit, tum ob diuersi-
 tatem & differentiam huiusmodi indultorum, tum quia
 plerique eorundem Principum Ministri ex hoc ipso quod
 illa diuersimodè, etiam latius quàm par erat, & ad
 suum libitum interpretandi occasionem arripuerunt,
 illisque abuti cœperunt, subortam esse non mediocrem
 in aliquibus locis libertatis & immunitatis Ecclesia-
 sticæ perturbationem & confusionem; alibi verò ne
 ipsos quidem laicos indultis huiusmodi uti voluisse,
 aut potuisse, quoddam populis inueterata erga Ecclesias
 reuerentia deuotis, & assuetis, scandali potius quam
 quietis occasionem præberent. Illud etiam absurdum
 sæpè numero secutum est, vt infimæ interdum condi-
 tionis laici, non modò iuris, sed etiam literarum peni-
 tus ignari, & imperiti, dum quasi Porestates, aut Mi-
 nistri Curie secularis in aliquo Castro, aut Oppidulo
 iurisdictionem exercebant, facultatum & indultorum
 huiusmodi limites longè exceßerint, eaque suo arbitra-
 tu in sensus minus rectos, & ab intentione conceden-
 tis omnino alienos detorserint, & illorum prætextu
 quicquid sibi in mentem venit, attentare præsumpse-

rint, in graue iurisdictionis & immunitatis Ecclesia-
 sticæ præiudicium, locorum, & personarum diuino cul-
 tui dicatarum contemptum, ipsius diuinæ Maiestatis
 offensam, & scandalum plurimorum. Quare pro com-
 misso nobis à Domino Pastoralis officij munere, prædi-
 ctis absurdis & scandalis obuiare, ac differentias huius-
 modi ad vniformem regulam reducere, omnemque du-
 bitandi, ac perperam interpretandi occasionem diluci-
 da declaratione submouere, abusus tollere, & ne Ec-
 clesiastica iura planè conculcentur & negligantur, op-
 portunè providere decreuimus, prout etiam dictus
 Sixtus prædecessor noster iisdem de causis motus sta-
 tuere decreuerat, licet morte præuentus hoc adimplere
 nequiebat; ita tamen, vt quando præfens temporum
 calamitas, & nimia, quæ iam inualuit, peruersorum
 hominum malitia id exposcit, aliquid etiam ad terro-
 rem delinquentium, & ad coercenda illorum disciplina,
 vltra id quod præfata illa maiorum nostrorum disciplina,
 & vetus sacrorum canonum norma præscripserat in
 quibusdam casibus congrua moderatione adhibita, per-
 mittamus.

Hic itaque Pont. huiusmodi facultates renocat, & immu-
 nitatem Ecclesiarum obseruari præcipit.

§. 2. Hac itaque nostra perpetuò valitura constitu-
 tione, omnia & quæcumque priuilegia, indulta, &
 gratias, tam per prædictum Sixtum ac Pium Quintum,
 quàm alios quoscumque nostros prædecessores, aut nos-
 metipsos, Sedemque Apostolicam, eiusve Legatos, su-
 per abducendis, vel extrahendis ab Ecclesiis, Monaste-
 riis, Sacellis, domibus regularibus, & secularibus, lo-
 cisve sacris aut Religiosis, aliasque in casibus à iure
 permittis hominibus certorum tunc expressorum, vel
 non expressorum criminum reis, aut fraudulentis deco-
 ratoribus, etiam in odium certorum delictorum, & pro
 bono, pace, & quiete publica, & ex causis vrgentissi-
 mis ac necessariis & æquipollentibus casibus in iure ex-
 pressis, atque ex paritate, identitate, aut maiori-
 tate rationis extensis, perpetuò, vel ad certum nondum ela-
 psam tempus, seu ad vitam alicuius Principis, aut be-
 neplacitum, seu aliàs quomodolibet concessa, etiam
 iteratis, aut multiplicatis vicibus approbata, & in-
 nouata, ac vtu recepta, literasque Apost. sub plumbo,
 aut in forma Breuis, seu aliàs quomodocumque desuper
 confectas, quarum tenores hic haberi volumus pro ex-
 pressis, ac ad verbum insertis, sublata penitus omni
 differentia, ita ad vnā tantum formam reducimus, &
 moderamus.

Certos tamen casus hic expressos excipit, in quibus laici de-
 linquentes Curia seculari remitti debent. Quoad here-
 ticos habes etiam sup. Bull. Ioan. XXI. cit. in rubro.

§. 3. Vt laici ad Ecclesias, locaque sacra, & re-
 ligiosa prædicta confugientibus, si itinera frequentata,
 vel publicas stratas obsident, ac viatores ex insidiis ag-
 grediuntur, aut depopulatores agrorum, quive homi-
 cidia, & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis,
 earumve Cameteriis committere non verentur, aut qui
 proditoriè proximum suum occiderint, aut assassinij
 vel hæresis, aut læsæ Maiestatis in personam ipsiusmet
 Principis rei, immunitas Ecclesiastica non suffragetur.
 Sed vniuersis, & singulis venerabilibus fratribus nostris
 Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, cæterisque
 Ecclesiarum, & Monasteriorum Prælatibus, tam secula-
 ribus, quàm cuiusvis Ordinis Regularibus, districtè
 præcipiendo mandamus, & præcipimus, vt laicos
 in casibus prædictis delinquentes, ad eorum Ecclesias,
 Monasteria, domos, & alia loca supradicta sacra, seu
 Religiosa respectiue confugientes, & in eis se recipien-
 tes atque morantes, qui prædicta delicta, eorumve ali-
 quod, iudicio suo commississe videbuntur, quando à
 Curia seculari fuerint requisiti, & quilibet eorum fue-
 rit requisitus, Ministri, & Officialibus Curie secularis
 absque

absque irregularitatis nota, aut alicuius censuræ Ecclesiasticæ incursum, tradi, & consignari curent, & faciant, & quilibet eorum curet & faciat.

Et curia secularis absque licentia Iudicis Ecclesiastici nullo pacto accipiat.

§. 4. Ne autem Curia secularis prædicta & Ministri facultate illos per se & propria auctoritate extrahendi, & abducendi sibi olim, ut præfertur, attributa, & per præsentem reuocata, abutantur, volumus, dictaque auctoritate decernimus, & declaramus, ut Curia secularis, eiusque Iudices, & Officiales, ab Ecclesiis, Monasteriis, locisque sacris prædictis laicum aliquem, ut præfertur, delinquentem in nullo ex casibus supradictis sine expressa licentia Episcopi, vel eius Officialis, & cum interuentu personæ Ecclesiasticæ ab eo auctoritatem habentis, ad quos solos, & non alios Episcopis inferiores, etiam alij Ordinarij sint, aut nullius Diocesis, aut Conferatores ab hac Sede specialiter vel generaliter deputati, prædictam licentiam dandi facultas pertineat. Occurrente autem casu in loco exempto, & nullius diocesis, tunc ad Episcopum viciniorem deuoluatur hæc cognitio, & non ad alios, qui capere, & extrahere, aut incarcerare non possint, nisi eo casu, quo ipse Episcopus, & dictæ personæ Ecclesiasticæ requisitæ illos in delictis superius expressis culpabiles tradere, aut capturæ & carcerationi interuenire, & assistere recusauerint: tuncque reuerentiæ Ecclesiæ, & locis sacris debitæ memores, prædictos delinquentes minori, quo id fieri poterit, cum scandalo & tumultu extrahere curent.

Sed Ecclesiasticus prius videat, an carceratus aliquod ex criminibus exceptis commiserit.

§. 5. Quodque delinquentes laici prædicti, postquam, ut præfertur, ab Ecclesiis, locisque sacris extracti & capti fuerint, ad carceres Curie Ecclesiasticæ reponi, & inibi sub tuto & firmo carcere, ac opportuna custodia data illis, si opus fuerit, per Curiam seculari prædictæ consignari nec tradi possint, nisi cognitio prius per Episcopum, seu ab eo deputatum, an ipsi verè crimina superius expressa commiserint, tuncque demum de mandato Episcopi per Iudicem Ecclesiasticum Curie seculari, quacumque appellatione postposita, consignentur.

Criminis hæresis cognitio totaliter sit fori Ecclesiastici.

§. 6. De crimine verò hæresis cognitio ad forum Ecclesiasticum tota pertineat, neque in ea Curia secularis se quoquo modo intromittat.

Et omnia personarum Regularium in omnibus casibus.

§. 7. Sicuti etiam prohibemus, ne contra Ecclesiasticas personas, seculares, aut cuiusvis Ordinis, vel Militiæ, etiam Sancti Ioannis Hierosolymitani regulares quoquo modo, etiam vigore prædictorum privilegiorum, indultorum, aut concessionum, quæ omnia ad terminos iuris per præsentem reducimus, procedant, aut se intromittant, illasve ab Ecclesiis, Monasteriis, Domibus, locisque sacris, aut religiosis, etiam in casibus in hac constitutione expressis, extrahere, abducere, capere, carcerare, aut cognoscere de criminibus ad forum Ecclesiasticum pertinentibus, aliàs quàm de iure, & per privilegia eisdem Ordinibus, aut militiis concessa permittit, quomodolibet præsumant.

Contranientes in penas hic enarratas incidunt.

§. 8. Quod si quis quacumque dignitate, & auctoritate prædictus, præmissorum, aut alio quouis prætextu quicquam præter, aut contra huius nostræ constitutionis tenorem attentare præsumperit, declaramus eum ipso facto censuras & penas easdem incurrere, quæ contra libertatis, iuris, & immunitatis Ecclesiasticæ violatores per sacros Canones, & Conciliorum

generalium, nostrorumque prædecessorum constitutiones sunt promulgatæ.

Clausula sublata, &c.

§. 9. Sicque per quoscumque Iudices, ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi & interpretandi facultate, in quavis causâ & instantia iudicari, & definiri debere, necnon decernimus inane si secus super his per quoscumque quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula derogatoria.

§. 10. Non obstantibus præmissis, tam Sixti, & Pij V. quàm aliorum quorumcumque prædecessorum nostrorum literis Apostolicis, privilegiis, indultis, & facultatibus, quibusvis personis, etiam Imperiali, Regia, Ducali, aut alia quavis dignitate & auctoritate fulgentibus, aut Rebus publicis, Dominiis, Regnis, Provinciis, Ciuitatibus, Terris, & locis, eorumve Curis, Parlamentis, Senatibus, Consiliis, Communitatibus, Vniuersitatibus, Collegiis, aut Præfidentibus, Proregibus, Gubernatoribus, Locatenentibus, Vicariis, Potestatibus, aliisque Magistratibus, Officialibus, Ministris, aut Consiliariis, ex prædictis, vel aliis etiam grauioribus, & vrgentioribus causis, tam illorum intuitu & contemplatione, siue ad eorum preces, & instantiam, quàm etiam Motu proprio, & ex certa scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, ac per modum statuti & legis perpetuæ, etiam in vim contractus, & de fratrum nostrorum consilio, sub quibuscumque tenoribus & formis, & cum quibusvis præseruatiuis, reitutiuis, mentis attestatiuis, derogatoriis derogatoriis, aliisque validissimis, efficacissimis, & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & aliis decretis, etiam si inibi caueatur expresse, quod illis, nisi sub certis modis & formis, & nisi de expresso eorum consensu, ad quorum fauorem concessa fuerint, derogari possit, & aliter factæ derogationes nullius sint roboris vel momenti, & aliàs quomodolibet concessis, etiam sæpius approbatis, & innouatis. Quæ omnia, & singula, ac illorum tenores pro expressis habentes, quatenus præmissis in aliquo aduersentur, aut plures quàm superius expressos casus contineant, auctoritate & tenore præmissis omnino, ac perpetuè tollimus, & abrogamus, ac ad terminos præsentis Constitutionis, quoad superius descripta dumtaxat, reducimus, & nolumus cuiquam de cætero suffragari, & qualibet alia dictæ sedis indulgentia generali vel speciali, per quæ præsentibus non expressa, vel ad verbum non inserta effectus earum quomodolibet valeat impediri.

Publicationem huius constitutionis demandat.

§. 11. Ut autem præsentem literæ ad omnium notitiam facilius deducantur, mandamus illas in valuis S. Ioannis Lateranensis, & Principis Apostolorum, Basilicarum de Vrbe, necnon Cancellariæ Apostolicæ de more affigi, & publicari, earum exemplis inibi affixis & dimissis, ac post publicationem huiusmodi volumus & decernimus, ut omnes & singulos quos concernunt, & concernent in futurum, perinde ardeant, & afficiant, ac si eorum cuilibet personaliter intimatæ fuissent. Eandem verò præsentium transumptis, etiam impressis, Notarij publici manu subscriptis, eandem fidem in iudicio, & extra illud vbique gentium & locorum haberi volumus, quæ eisdem originalibus literis haberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Sanctionem penalem adiicit.

§. 12. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ moderationis, præcepti, mandatorum, decretorum, reductionum, declarationum, prohibitionis, sublationis, abrogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem Omnis

potentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursum.

Datum Romæ in Monte Quirinali, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo nonagesimo primo, nono Kal. Iunij, Pontificatus nostri Anno 1.

Publicatio.

Anno à natiuitate Domini 1591. indict. 4. die 28. mensis Maij, Pontificatus Sanctissimi in Christo patris & D. N. D. Gregorij diuina prouidentia Papæ XIV. anno eius 1. retroscripta litera Apostolica affixa, & publicata fuerunt in valuis Basilicarum Principis Apostolorum de Vrbe, & S. Ioannis Lateranensis, necnon Cancellaria Apostolica, & in acie Campi Floræ, vtmoris est, per nos Caterinum Menandri, & Nicolæum Dringy Curs.

Pompeiu Guerra Mag. Curs.

CLEMENTIS VIII. B. XLI.

Institutio Congregationis super Baronibus Status Ecclesiastici, cum iurisdictione eorum Castra & bona etiam fideicommissis subiecta distrahendi pro satisfactione suorum creditorum.

Quod autem Barones isti teneantur eorum vassallos ab obligationibus pro eis contractis liberare, iussit Pius IV. in cons. 18. Quia, fol. 2. lib. 2. vbi notauit.

CLEMENS EPISCOPVS,

Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

Iustitiæ ratio, & publicæ fidei causa postulat, vt eorum, qui pecunias nostris & S. R. E. subditis crediderunt, seu quibus aliquid ab eisdem, quauis occasione vel causa debetur, indemnitati pro munere nostro, opportuno remedio consulamus.

Causa huius Constit.

§. 1. Cum igitur multorum querelis iamdiu ad nos perlatum sit, & quotidianis expositulationibus perferatur, nonnullos Barones & Domicellos, nostros & S. R. E. subditos, tam in Vrbe, eiusque districtu, quam in vniuerso statu nostro Ecclesiastico existentes, contracto variis de causis ære alieno, nullam prorsus inire rationem illud dissoluendi, immo nec annuas fructuum præstationes idcirco debitas, maximo creditorum incommodo persolvere, ipsosque adeo creditores, dum eorum credita à dictis Baronibus, & Domicellis exigere conantur, magnos sumptus facere, & variis litibus implicari, & nihilominus credita ipsa nullo modo consequi posse, fideiussores etiam, qui pro eisdem Baronibus & Domicellis sese, & bona sua quoquo modo obligarunt, ab eorum obligationibus minimè posse liberari. Præterea, licet aliàs ad eorumdem Baronum & Domicellorum res aliquo pacto subleuandas, à nonnullis Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, ac etiam forsitan à nobis, ex speciali gratia concessa fuerit facultas quosdam pecuniarum Montes super eorum Ciuitatibus, Terris, Castris, Casalibus, & aliis bonis stabilibus, ad diuersas summas ascendentes erigendi cum obligatione etiam per ipsos Barones facta fructus hoc nomine singulis annis commentos soluendi, ac certis modo, & forma Montes erectos intra præscriptum tempus extinguendi, eos tamen qui pecunias in dictis Montibus posuerunt, hætenus annuas fructuum præstationes à nonnullis ex dictis Baronibus, & Domicellis consequi non potuisse, neque adhuc posse, ac præterea aliquos etiam Barones & Do-

micellos, eosdem Montes, vel eorum partem, iuxta eorum obligationem, statuto tempore non extinxisse, nec forsitan vterius de illorum extinctione cogitare, quo fit, vt iidem creditores sub fide publica hætenus magno detrimento affecti fuerint, & in dies magis ac magis afficiantur.

Institutio Congregationis pro satisfactione creditorum cuiuscumque Baronis, his modis, videlicet.

§. 2. Nos hisce malis pro officij nostri munere occurrere, & debita supradictorum creditorum (inter quos plerique pauperes, complures etiam pupilli, & viduæ sunt) satisfactioni expedita aliqua ratione providere volentes, Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, dilectum filium nostrum Bartholomeum Sanctæ Mariæ in Porticu Diaconum Cardinalem Casium nuncuparum, necnon dilectos filios Tiberium Cerasium Camera Apostolicæ Clericum, Paulum Coperchium Fisci, & dictæ Camera Advocatum, Paulum Emiliū Zacchiam eiusdem Camera Commissarium generalem, ac Rodolphum Bonifolium Senatorem Bononiensem ad infra scripta omnia, & singula faciendā, Apostolica auctoritate, tenore præsentium constituimus, assumimus, & deputamus, ac eisdem liberam, amplam, & plenam facultatem & auctoritatem concedimus, & impartimur, vt coniunctim omnes, seu saltem idem Bartholomeus Cardinalis, & maior ipsorum pars omnibus, & singulis, tam instrumentariis, siue hypotechariis, quam chirographariis, ac etiam legatariis, & ratione mercedis, cibariorum, & vestiarij, seu alijs quouis modo priuilegiatis, vel mercium, siue aliarum rerum occasione, aut etiam ex causa fideiussorum, pro eisdem Baronibus seu Domicellis, ac pro qualibet summa & quantitate quorumcumque Principum, Ducum, Marchionum, & Comitum, aliorumque Baronum, & Domicellorum nostrorum, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ subditorum, in Vrbe, eiusque districtu, & in vniuerso statu nostro Ecclesiastico existentium, cuiuscumque status, gradus, conditionis, & ordinis fuerint, etiam si dignitate quacumque Ecclesiastica, etiam Cardinalatus honore præfulgeant, aut ipsorum parentum, seu antecessorum, vel auctorum quorumcumque creditoribus, etiam si eorum vassalli & subditi, aut alij quicumque fuerint, qui de ipsorum creditis, ex quauis causa, & ad quamcumque summam, vt præfertur, ascendentes, per mandata executiua à quibusvis Iudicibus Vrbs, aut alterius loci Status prædicti decreta & relaxata docuerint, ipsaque mandata exhibuerint, quamprimum absque vlla dilatione, non obstantibus quibuscumque inhibitionibus, dilationibus, superfloribus in forma Non grauetur, aut alijs quomodolibet ab iisdemmet, vel alijs Iudicibus, aut etiam forsitan à nobis, siue de ordine ac mandato nostro emanatis, & emanandis, quas omnes, & singulas ex nunc auctoritate præsentium renouamus, annullamus, & irritamus, infra scriptis modis & formis satisfieri curent & mandent, & cum effectu faciant, videlicet.

Exhibitis à creditoribus mandatis executiuis per Iudices relaxatis contra Barones, Congregatio illa exequi faciat, absque alia citatione super quibuscumque eorum bonis & castris nomine Camera Apostolicæ ad commodum creditorum, & statim cesset Baronum iurisdiclio, & eorum exercitium.

§. 3. Prædictorum Deputatorum Congregatio, exhibitis prædictis, absque alia citatione, & tela iudiciali, & sine vlla causæ cognitione, super veritate crediti, vel discussione iustitiæ, aut nullitatis mandatorum relaxatorum, tanquam meri, & puri executores, & propria auctoritate, & mandato, & sine vitio spolijs attentatorum